



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

diualia constituta permiserint. Quod cum & iuris antiqui formulis & illibatis frequentius sit legibus confirmatum, præsentem tamen tempore a plerisque inuenimus fuisse calcatum. Nam prætermissis sacerdotali iudicio, passim ad examen sæculare transiere. Quocirca nobis visum est, ut hanc & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlcisceretur plena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum. Censemur itaque, ut quicumque, prætermissis sacerdote ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæculariũ, sacris liminibus expulsus, a cælesti arceatur altario, neque ullus post hanc definitionem, qui communi sedit arbitrio, quidquam sibi vltra præscriptum vindicare nitatur: & ita fiet, ut hi qui ante errauerunt, congrua emendatione se corrigant, & qui sub obseruatione clericali cælesti probatur seruire officio, ex clero abiciendum, si prætermissis sacerdotum iudicio, sæcularẽ adierit potestatem. Quod ideo singulos vniuersosque volumus agnoscere, ut quod pleno iustitiæ & iuris ordine constitutum est, effectũ totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis sortiatur. Sane si clericus laicum pulset, prius se audiri ab episcopis poscat: tum si petitioni suæ laicũ viderit obuiare, ex permissu episcopi sui, in sæculi moderatores disceptatione confligat. Leo episcopus scribit. Victorius episcopus scribit. Eustachius episcopus scribit.

EPISTOLA XCVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGVSTVM.

- | | |
|--|---|
| I. De blasphemis Nestorii & Eutychetis, eorumque digno anathemate. | sona gemina sit deitatis & humanitatis asserenda natura. |
| II. Quod in vna Domini Iesu per- | III. De capitulis fidei ex sanctorum patrum libris collectis. |

*Leo Romæ & vniuersalis catholicæque ecclesiæ episcopus,
Leoni semper Augusto salutem.*

PROMISSISSE me memini, venerabilis imperator, in causa fidei, de qua clementiam tuam noui pie esse sollicitam, pleniorẽ humilitatis meæ dirigendum esse sermonem: quem nunc (auxiliante Domino) fidei occasione persoluo, ut sancto pietatis tuæ studio utilis (quantum

Concil. Tom. 7.

Gg ij